

DE  
**PYRRHONISMO**  
IN  
**HISTORIA ECCLESIASTICA**  
BREVITER DISSERIT  
SIMVLQVE  
VIRO MAGNIFICO ET SVMME REVERENDO  
**IOANNI VVILLELM.**  
**IANO**

HISTORIARVM AD HOC TEMPVS PROFESSORI  
CELEBERRIMO  
IAM VERO S. THEOL. LICENTIATO EIVSDEMQUE  
PROFESSORI PVBLICO MERITISSIMO  
*NOVAM HANC PROVINCIAM*  
*GRATVLATVR*  
IO. CHRISTOPH. COLERVS  
ORD. PHILOS. ASSESSOR

---

WITTENBERGAE  
EX OFFICINA VIDVAE GERDESIANAE  
ANN. CLO MDCC XVIII

a. ~~EX~~ #. 58.

Coll. diss. A  
158, 23

dy. A 158 (23)





**H**tsi multo uidebatur praestantioris laudis esse, a Maioribus uel recte constituta, uel magno ueterum studio exquisita, & tradita, tueri, confirmare, magisque illustrare, &, nisi erratum fuerit, uindicare, ea tamen, quod apparet, temporum nostrorum conditio est, ut malint plerique, uel ostentandi ingenii caussa, uel ob captandam forte gloriolam quandam, reuocare omnia in dubium, nullique rei magis, quam Scepticismo, & Pyrrhonismo, indulgere. Inuasit haec dubitandi libido omnes prope disciplinas, & scientias, maxime uero Historiam, sigillatimque eam, qua rerum in Ecclesia gestarum memoria continetur. Fuerunt certe, qui omnem hic fidem exploderent, Historiamque Ecclesiasticam adeo incertam, dubiam, & fallacem esse, contenderent, ut uix habeas, quod ex tot monumentis, scriptisque, ac testimoniis, probabile saltem, nedum certum, aut exploratum putes, & utcunque admittendum. Nescio, an maiori quis conatu hoc egerit, aut grauiorem hac de re accusationem attulerit, quam Stephanus Gaussenus, theologus ille Salmuriensis.

riensis. Is, cum multum, uarieque de Eusebio, fideque ab eo neglecta, conquestus esset, tandem haec subiicit. *Quod si quis ab Historia Eusebii ideo resiliat, quod non sit illa omnibus partibus, & gradibus absoluta, nae ille plane debet isti studiorum nostrorum parti aeternum ualedicere. Haec enim est singularis Christianorum infelicitas, quod, cum nulla gens sit, quae rerum suarum scriptores, quibus tuto credatur, non habeat; historicum ueterem Christiani nullum habeant, qui haereticus non fuerit, aut erroris suspectus, aut, si forte purus erroris, in quo certe prudens lector non aliquid desideret.\* Equidem nolo uel errores Eusebii, ab aliis pridem notatos,\*\* studiose excusare, uel quid demum de illo sentiendum sit historico, post tot eruditorum iudicia,\*\*\* recensere. Neque is ego sum, qui uel ignorem, aut dissimulare uelim, quantis laboret dubiis, & difficultatibus, uel fabulis etiam contaminata uideatur Historia Ecclesiastica, atque adeo quam caute, & fere timido animo ad eam accedendum sit. Sed enim nihil hinc ipsi Pyrrhonismo praesidii conciliatur. Lectu dignissima est epistola Francisci Balduini, quam nuper ex MS. quod in bibliotheca Guelpherbytana asseruatur, luci publicae exposuit uir celeberrimus, Ioannes Andreas Schmidius. In illa aperte, & ingenue fatetur Balduinus, se in perscrutanda*

\* Vid. *Dissert. eius Theol. iunctim editae, p. 44, ed. 2. Ultrai. ap. Franc. Hal-*  
*nam, 1678, 12.*

\*\* Leg. post plures alios, *Tanaquillus Faber*, in *Epistolis Criticis*, ep. 44.

\*\*\* comp. prae ceteris *Io. Andr. Schmidius*, in *Supplem. ad Sagittarii Introd. ad Hist. Eccl. p. 70, sq.* Omitto prudens *Guil. Cauii*, & *Io. Clerici* de Eusebio certamen, quorsum in primis conf. *Nouvelles de la republ. des Lettres, Ann. 1699, T. 1, p. 504, sq.*

tanda diligentissime Historia Ecclesiastica saepe diu, *in facti* in primis, quod ait, *quaestione* haefisse. Nam quid olim factum sit, inquit, non modo incerta est diuination, sed etiam obscura, & non raro nulla memoria. Cumque ueterum scriptorum ueluti consignata testimonia legerem, cogitabam, quid prudentes de testibus, & eorum fide olim responderint. Testibus, inquiunt, non testimoniis, credendum esse, perpendendam quoque esse fidem testimonii, quod integrae frontis homo dixerit. Illud uero in primis me male habebat, multos, & laruatos, & mirabiliter lectos testes, sed falsos occurrere. Nihil certe ab historia, praesertim sacra, magis alienum esse debet, quam fabula, nihil magis tamen illi affine. Ac, paucis interiectis. Illud multo etiam est intolerabilius, in religionis causa eos autores interdum falso obtendi, quorum ea sit auctoritas, ut non modo eorum testimonium ad facti probationem ualeat, sed & factum, dictumue ad iuris rationem. Magna & incomparabilis iactura fuit, qua tot ueteris ecclesiae monumenta fuerunt suppressa, sed maior, & magis indigna illa iniuria, qua eorum loco supposita multa sunt adulterina commenta. . . . Tanto magis mihi ueniam dabit, si non solum religiosus, sed prope etiam timidus, minime certe credulus sum, cum ueteris ecclesiae memoriam requiro. † Ita ille de naeuis, uitiisque Historiae Ecclesiasticae, cui, nihil ueremur, plane assentiri. Sed quid demum inde? Ergone ad Pyrrhonismum commendandum, aut ad fidem omnis fere Historiae Ecclesiasticae sollicitandam, cum Gauffeno, profilit Balduinus? Minime fane. immo uero

† uid. integra Balduini epistola ap. Schmidium, l. c. p. 137. sq.

uix uideor mihi singula fere Salmuriensis illius Theologi  
 supra excitata uerba aptius confutare posse, quam hoc  
 Balduini testimonio. *Illud dico*, inquit, *cum ea* (in Histo-  
 ria Ecclesiastica) *uitassem*, quae aut malae, aut suspectae fi-  
 dei esse uidebantur, non fuisse me propterea idoneis testibus  
 destitutum. Imo uero occurrunt alii πολλοὶ, καὶ ἀγαθοὶ,  
 de quibus uetus illud dicere soleo: *Aut hoc testium satis est,*  
*aut nescio, quod sit satis.* Et uero singulis seculis aliquot  
 ἀξιόπιστοι in primis, qui supersunt, sese offerunt, quos etiam  
 tanto magis audio, quod quae sua aetate fiebant, & quae  
 uiderunt ipsi, & quibus interfuerunt, narrent, & plerumque  
 id faciant aliud agendo. †† Bene factum igitur! nondum  
 usque eo de omni Historiae Ecclesiasticae nostrae fide, &  
 monumentis conclamatum est, ut Christiani nos reliquis  
 gentibus omnibus eam ob rem infeliciores, ex mente  
 Gauffeni, habendi simus. Vellem autem magnopere, ut  
 Balduini, Icti illius, & Historici praestantissimi, \* intue-  
 rentur aequitatem, eiusque sobrium iudicium magis, quam  
 sui intemperiem ingenii sequerentur, qui doctrinae alias,  
 laudisque Balduinianae aemuli uideri poterant haud infe-  
 lices. Certe magnus ille, & celeberrimus Germaniae  
 nostrae Ictus C. T. multis uisus est, nimis ad Pyrrhoni-  
 smum in Historia Ecclesiastica uel ipse propendere, uel  
 alios inducere, de quo nuper ita iudicauit Christianus  
 Eberardus Weismannus. \*\* *C. T. ubi historicum agit, e. g.*

292

†† ap. Schmidium, l. c. p. 144.

\* Vitam eius copiose, & accurate exponit Petrus Baelius, in *Dictionario Hi-  
 storico, & Critico*, T. I, p. 509, - - 515. ed. 2.

\*\* Weism. in *Prolegom.* T. I, Hist. Eccl. N. T. p. 44.

in Observationibus Halensibus, Cautelis maxime, & alibi  
passim, nimii Pyrrhonismi a multis accusatur, nec iniustam  
plane hanc querelam esse, facile moderatus lector agnoscet.  
Huic Icto etiam Papisticum saepe est, quicquid principiis il-  
lius politicis, & idolo, quod inde sibi formavit, obstare uel  
eminus uidetur. Relinquimus autem aliorum iudicio, an  
non ueritati, & causae Dei, atque religionis, & illius, &  
similium placita huius generis grauius huc usque nocuerint,  
teste experientia? Grata magis in Orbe Erudito est memo-  
ria Parentis eius doctissimi, & moderatissimi, b. l. T. cuius  
reconditam, & singularem eruditionem in re literaria suspi-  
ciunt uniuersi. Videant alii de hoc iudicio, quod no-  
strum non facimus, uideat ipse, qui notatur, C. T. Idem  
uero ille, quem diximus, Weismannus de argumento,  
quod excutimus hic, Pyrrhonismo nempe in Historia Ec-  
clesiastica, grauius omnino, recteque censet, immo ue-  
ro totum prope illud exhaustit. \* Taediosam fere, inquit,  
& infamem Mercurialibus quibusdam seculi praesentis homi-  
nibus reddidit Historiam Ecclesiasticam immoderata de ple-  
risque dubitatio, & prodigiosa iudicandi de actis, monumen-  
tisque ueterum licentia, quae propemodum in laudis materi-  
am abiit, quasi fungi, & stipites essent, qui credunt aliquid  
eorum, quae a ueteribus ad nos translata, & a nobis rece-  
pta sunt. Verum quid aliud hoc est, quam ex Charybdi in  
Scyllam incidere? negare omnia, dubitare de omnibus, quia  
forte in quibusdam decepti sumus, suumque cerebrum regu-  
lae authenticae loco obtrudere? Possemus huius rei plures al-  
legare

\* Weism. l. c. p. 4. seqs.

legare testes, sed tutius, atque utilius arbitramur, rem ipsam notare, atque innocenti cautela disponere lectores, ut sibi ab isto praecipitio modestia, & moderatione Christiana caueant, ac dulce uenenum petulantis incredulitatis (quae quidem solius Historiae uulgaris limitibus circumscripta non manet, sed ad diuina, & sacra quaeuis, fatali totius religionis damno, & interitu, hodie protenditur,) absque antidoto sibi propinari haud facile patiantur. - - - Non quidem omnes ad hunc gradum uertiginis progrediuntur Eruditi; est tamen, fateor, morbi quasi epidemici species, quae plurimorum supra uulgus sapere uolentium animos ita occupauit, ut nullum fere modum seruent in dubitando, coniiciendo, & opinando, atque adeo a libertate legitima, & sale Christianae modestiae conspersa, satis longe sunt remoti. Non corrigit falsitatem, sed euertit ueritatem propter admixtum falsi uitium, qui stomachatur ad quaecumque sibi in Historiae tabulis obuia, uel non satis plana, uel dubia in nonnullis circumstantiis, uel ideis suis recentibus aduersa, & ingrata. Actum sane est de omni Historia, si ea praeualeat methodus, quam non nulli hodie doctorum adhibent in examine Actorum, & Scriptorum ueterum. &c. Haec utinam intellexisset, sibi que ipse ad animum reuocasset saepius in conscribenda Historia Ecclesiastica, & Haeresiologia Gothofredus Arnoldus. Dicit enim non potest, quantum is, suo pro lubitu, fingat, refingatque, & quicquid demum uelit, nunc eiiciat, nunc in dubium uocet, leuissimisque de causis a communi scriptorum fere omnium fide, testimonioque, & auctoritate discedat. Sed  
mitta-



mittamus Arnoldum, de quo, paucis mutatis, idem fere dixeris, quod de Baronio Baelius. † *On ne compte point les fautes de cet Auteur par centaines, mais par milliers. Il s'est trompé, non seulement par intérêt de parti, & par prévention, mais aussi en mille choses, qui ne seruent rien aux prétensions, lesquels il soutient.* Facile etiam Hallensium nunc demum iudicio subscribimus, & sententiae, quam publice nuper de Arnolde tulerunt. †† *Sane, si dicendum, quod res est, non potuit non Arnoldus in multis allucinari. Dum enim semel induxerat animum, ut haereticorum omnium causam tueretur, quid mirum, si, tanta commodorum testium inopia, tumultuarie multa corrasit, atque ea in subsidium uocauit, quae, ubi rectius inspiciuntur, in ipsum haereticorum patronum retorqueri possunt? imo, quid mirum, si toties coniecturis rem egit, omnesque ingenii nervos intendit, ut aliquid fingeret, quo colorare haereticorum causam, atque rerum imperitis fucum facere posset?* Id namque frequens hominibus, ut in contraria ruant, dum uitare uitia annituntur. Ceterum laude dignissimi sunt, qui nostra aetate Historiam Ecclesiasticam emaculandam, & a uariis uitiis emendandam sumserunt, in primisque uera a dubiis, falsisque discernenda duxerunt, qua in re suam quoque operam, studiumque profitetur Io. Clericus, \* qui aliis tamen uisus est,

b

† in Append. T. III, Diâ. Hist. & Crit. p. 3127.

†† Biblioth. Hallens. Academica, anni 1718, Sect. IV, Num. XLIX, p. 182.

\* Biblioth. anc. & mod. T. V, P. I, p. 224. sq. ubi, quo consilio, & instituto Historiam suam Ecclesiasticam Saec. I & II ediderit, exponit.

est, nimia quoque licentia uti. Ita nempe est, quantum a Pyrrhonismo recedere oportet in Historia Ecclesiastica, tantum cauendum quoque est, ne ad uarias in eadem fabulas, uel ad corruptelas ceteras, ex partium studio ortas, ueluti ad scopulos, adhaerescamus. Non caret profecto Historia Ecclesiastica fabulis, quibus insigniter contaminata est, maxime si prisca tempora intueamur. Quare recte doctissimus Oxoniensium episcopus, Io. Fellus. \*\* *Non dissimulandum est, inquit, tantam fuisse primis Saeculis fingendi licentiam, tam pronam in credendo facilitatem, ut rerum gestarum fides grauius exinde laborauerit, nec orbis terrarum tantum, sed & Dei ecclesia de temporibus suis mythicis merito queratur.* Prouoco hic saltem ad Acta Sanctorum, tot fabulis olim deformata, ut Papebrochius, cum Perezio respondendum esset, non dubitauerit ita pronunciare. \*\*\* *Sanctorum Acta circumferebantur partim aperte falsa, partim tenebris densissimis obsita, quae doctissimis Patribus Benedictinis admodum falce iuxta, & face egere uidebantur.* Tantundem autem damni fere intulit Historiae Ecclesiasticae nimium, turpissimumque illud partium studium, quod apud plurimos deprehendas Scriptores, in primis Pontificios. Neque tamen, quod obiter animaduertimus, inter hos quoque desunt, qui ueritatis luce per-

\*\* Fellus, in praef. *Pseudo-Cypriani Confessione* praemissa, p. 53.

\*\*\* Papebrochius, in *Responsione ad Iosephi Perezii Exhibitionem errorum*, p. 303, 304. conf. Bayle, *Diction.* T. III, v. *Perez*, p. 2357.

ce perspecta, bona identidem fide res Ecclesiasticas exposuere. Vnum hic nomino Franciscum Bosquetum, qui & fabulas innumerabiles fere profligauit, & ueritatem secutus est haud uulgari constantia, fideque. Sed, *haec ipsa eius probitas*, iudice V. G. Sibero †, *fecit, ut Alpes, aut Rhenum transcendere non permittatur*. At quam pauci, eheu! Bosqueti inter Pontificios, aut alios forsan. Mea autem qualicumque sententia, uix aliunde natus est Pyrrhonismus in Historia Ecclesiastica, aut maiora cepit incrementa, quam ex luxurie illa, & dominante lolio fabularum, partiumque studii, quibus duobus maximis Historiae Ecclesiasticae corruptelis cum pessum data fere essent omnia, procliuis, & uberrimus fuit e contrario prouentus Pyrrhonismi. Sapit ergo profecto, qui, intuens haec, non, nisi timidus, cautus, & religiosus, parumque credulus, cum Balduino, ad Historiam Ecclesiasticam accedit, cum Eodem tamen, minime de omni omnino Historiae illius fide, & auctoritate desperat.

b 2

Haec

† Siberus, *de Moris, & Salis propter Christum*, Lips. 1718, p. 9. §. 19. Allegat is quidem Bosqueti *Historiam Ecclesiasticam*. Sed non dubito, quin librum intelligat, qui inscribitur, *Pontificum Romanorum, qui e Gallia oriundi in ea sederunt, Historia, ab ann. 1305 ad 1394 ex MSS. edita, & notis illustrata a Francisco Bosqueto. Paris. ap. Cramoisy, 1632, 8. uid. Catal. Biblioth. Tellerianae, p. 256.*

Haec eo lubentius, **VIR MAGNIFICE,**  
**TVO** ueluti in conspectu, **TEQVE** arbitro, differe-  
re uolui, quo magis perspectum mihi est, cognitum-  
que, quanta, ad hoc tempus, cura, diligentia, fide,  
prudentialque, & circumspectione in publice docenda  
Historia, cum ciuili, tum sigillatim Ecclesiastica, uer-  
fatus sis. Non commendasti iuuentuti studiosae Pyr-  
rhonismum, pestem illam omnium liberalium artium,  
sed incredibili potius studio uera, rata, certaue sem-  
per tradere, & dubia in maiori luce collocare, ac  
certis demum documentis confirmare elaborasti. Ne-  
que uero non, si qua falsa, & perperam tradita in  
Historia Ecclesiastica occurrerent, eiecisti, & explo-  
denda curasti. Quare, si quid per publicam utili-  
tam optare licuisset, optassent forte mecum pluri-  
mi, ut nunquam a prouincia Historiam docendi, quam  
tantopere ornasti, discessisses. Verum tamen cum  
Summi Numinis prouisu, ac Potentissimi Regis no-  
stri mandato aliter euenerit, ut ad maiorem dignitatis  
gradum, docendaeque theologiae munus amplissimum  
euectus sis, nouus **TIBI, VIR MAGNIFICE,**  
apertus campus uidetur, in quo amplissimas, quas tan-  
tum non a prima iuuentute colligere coepisti, doctri-  
nae theologiae copias explices. Nemo nescit, apud  
nos, quantum aliquando **D. Io. Georgius Neumannus de**  
**TE,** ingenioque **TVO** ominatus, uel Ecclesiae potius pol-  
licitus fuerit, cuius in gloriam, famamque, hereditatis  
pro-

propemodum iure succedis. Ac profecto nunc de-  
mum desiderium Neumanni, post alios celeberrimos A-  
cademiae nostrae doctores, inter iuventutem studio-  
sam, lenitum uidetur, postquam, quae communis fere  
omnium uox est, in TE reuiuiscere Neumannus coepit,  
cuius nemo TE melius interiorum perspexit doctri-  
nam, aut felicius aemulari potuit. Referas ergo no-  
bis, VIR MAGNIFICE, Neumannum, a quo,  
cum primum Theologiae docendae admoueretur, sum-  
ma omnia expectari posse, aliquando censuit uir ce-  
leberr. Io. Franc. Buddeus ++. Ego certe nihil uere-  
rer, easdem TIBI laudes reddere, quas eo tempore,  
gratulandi causa, Neumanno liberaliter tribuit Bud-  
deus. Sed TVAE, VIR MAGNIFICE, parcen-  
dum esse, intelligo, modestiae. Quare ueniam dabis,  
si quidem tacita magis meritorum TVORVM ue-  
neratione, quam exquisita laudatione meam erga TE  
pietatem colam. Quod superest, Deum precor im-  
mortalem, ut TE, VIR MAGNIFICE, sub au-  
spicium noui muneris nouis quoque, iisque innumera-  
bilibus exoptatissimae felicitatis generibus cumulet, in  
primisque ualetudinem integram, & commodam con-  
seruet, quo studiosae iuventuti aequae, ac uniuersae  
Ecclesiae Christianae maximam, utilissimamque ope-  
ram

b 3

++ Buddeus, in *dedic. Schediasm. sui de Origine dignitatis Cardinali-  
litiae*, ad D. I. G. Neumannum.

ram nauare queas. Postremo me quoque TVO com-  
mendatum patrocínio cupio, in primisque demisse ro-  
go, ut, quemadmodum fecisti hactenus, ita in poste-  
rum quoque qualescunque conatus meos históricos,  
& literarios summa TVA humanitate, fauore, ac be-  
neuolentia, tum uero etiam selectissimae biblio-  
thecae TVAE aditu subleuari, extollique,  
benigne patiaris.





IOANNES VVILLELM. IANVS

*Ἀναγρᾶμμ.*

IO! ILLE ALIVS NEVMANNVS



JOHANNES WILHELM IANVS  
1588

Coll. obiss. A. 158, 23